

Anastasium Monachum ab hoc errore vindicant *Petrus de Marca* Archiepiscopus Parisiensis in Epistola ad *Lucam Dacherium*, *Arnaldus* Doctor Sorbonicus lib. 7. tom. 1. de perpetuitate fidei *Catholice Ecclesie circa Eucharistiam* capit. 2. & *Natalis Alexander* in sexto Ecclesie sæculo cap. 13. ubi doctissimi illi Scriptores pluribus probant, Anastasium Sinaitam Monachum, realem Corporis Christi in Augustissimo Eucharistiae Sacramento præsentiam constanter docuisse, quamvis errore sibi proprio, & in explicandis hujus Mysterii circumstantiis lapsus, opinatus sit, Corpus Christi in Eucharistia esse corruptibile, & affectiones, quæ conveniunt accidentibus, puta frangi, dividi, dentibus conteri, stomacho digeri, alterari, & corrumpi, Corpori Domini convenire. Qua in re licet erraverit Anastasius Sinaita Monachus, numquam tamen deflexit a fide, qua semper, ubique, & ab omnibus creditum est, Corpus Christi esse realiter præsens in Eucharistiae Sacramento. Sed de Scriptoris Ecclesiasticis qui sextum sæculum doctrina, & pietate illustrarunt, hæc prælibasse, sufficiat.

## COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina, & Morali  
Christiana sexti Ecclesie  
sæculi.

**D.** **C**Um Ecclesie Catholice veritas in Doctrina, Disciplina, & Morali potissimum splendescat, hoc unum duntaxat ad rerum, quæ ad Historiam sexti Ecclesie sæculi spectant, plenam notitiam desiderari videtur, ut de Doctrina, Disciplina, & Morali hujus sæculi breviter in isto Colloquio disseramus. Agedum, & ostendè primo, quænam fuerit Doctrina sexti Ecclesie sæculi.

**M.** Doctrina sexti sæculi eadem plane fuit, quæ nunc obtinet in Ecclesia Catholica, & quæ ab Apostolis profecta invariabili sæculorum serie ad nos usque, constanti, perpetuaque traditione propagata est. Profitentur omnes fideles sexti Ecclesie sæculi unam divinam Essentiam, & tres Personas contra Arianos, & Sabellianos; duas in Christo naturas, divinam scilicet, & humanam, contra Eutychianos; unam personam, seu divinam, contra Nestorianos. Circa hæc duo præcipua fidei Orthodoxæ dogmata nulla prorsus Catholicos inter sexti Ecclesie sæculi fuit controversia. Quapropter, jure merito observat doctissimus Cardinalis *Norisus* in Dissertatione Historica de uno ex Trinitate carne passo, contentionem illam, quæ sæculo sexto inter Catholicos exorta est, circa hanc propositionem: *Unus e Trinitate, carne passus est*, fuisse puram, putamque inter Catholicos Logomachiam, qualis olim fuerat de hac voce *Hypostasis* quæstio tanta opinionum discrepantia Latinam inter, & Græcam Ecclesiam agitata. Latina siquidem, ut jam observavimus in sexto Colloquio in Historiam quarti Ecclesie sæculi, tres personas, & unam Hypostasium in Sancta Trinitate esse, affirmabant;

ipsis enim Hypostasis idem erat ac substantia, natura, & essentia. Ex adverso Græci tres Hypostases in Sanctissima Triade admittendas esse, petendebant, quia Hypostasis apud illos idem erat ac persona. Magno certe animorum astu Latinos inter, & Græcos diu multumque disceptatum fuit, priusquam Latini, rematuro examine ponderata, nomen Hypostasis in eadem cum Græcis significatione reciperent, quamvis utriusque, idest, tam Latini, quam Græci, essent in re significata plane concordēs, nempe unam Essentiam esse divinam, tresque Personas, atque pro Catholico isto dogmate contra Hæreticos strenue depugnare utriusque palam gloriarentur. Huic igitur de significatione vocis *Hypostasis* contentioni, in quarto sæculo acerrime ventilata, persimilis fuit ista controversia Catholicos inter sexti sæculi enata circa hanc propositionem: *Unus e Trinitate carne passus est*, hanc quippe Monachi Scythæ cum quibusdam aliis Catholicis constanter propugnabant; alii vero Catholici eam Eutychianæ Hæreseos infimulabant, hincque tot clamoræ disputationes, & tot contra se factitatæ hinc inde accusationes. Hæc tamen pura erat quæstio de nomine, quia utraque litigantium pars in fidei dogmate consentiebat, duas in Christo naturas indivise adversus Eutychianos admittens, & unam in eodem Personam, contra Nestorianos adstruens. Crediderim ipse, huic controversiæ inter Catholicos sexti sæculi obortæ locum dedisse errorem facti in hoc positum, quod multi Catholici hanc Scytharum Monachorum propositionem: *Unus e Trinitate carne passus est*, a blasphemia *Petri Fullonis* Hæretici Eutychiani non differre, aut tarent. Hic enim Hæreticus Trisagio addiderat hæc verba: *Qui crucifixus es pro nobis*, cum quibus ista propositio: *Unus e Trinitate crucifixus est*, sensu convenire videbatur. Verum errore facti in hoc hallucinabantur illi Catholici; nam *Petrus Fullon* hæc verba: *Qui crucifixus es pro nobis*, Trisagio, quo Deus ter Sanctus proclamatur addiderat; ut ianueret, Filium Dei in substantia Deitatis, vel Trinitatem, toram passam esse. Duas siquidem in Christo naturas negabat impius ille Eutychianus. At Scythæ Monachi duas in Christo naturas inconsumas conceptis verbis profitebantur, & unum e Trinitate, scilicet Filium Dei, non in substantia Deitatis, sed carne passum ac crucifixum propugnabant. Suam, sociorumque suorum Scytharum Monachorum super hac re sententiam dilucide exponit *Maxentius* in Professione Fidei de Christo, eamque Sancti *Procli* Constantinopolitani Episcopi, cujus doctrinam recepit Synodus Chalcedonenis, auctoritate confirmat in Tomo ad Armenios, ut legere est apud *Natalem Alexandrum* in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus sæculo VI. Dissertatione secunda. Mirum igitur non est, si *Joannes II.* Summus Pontifex, postquam accurate examinasset, hanc propositionem: *Unus e Trinitate carne passus est*, & Scytharum Monachorum doctrinam de duabus in Chri-

Christo naturis perspectam, exploratamque habuisset; tanquam Catholicam approbaverit, & *Acæmetas* Monachos, qui prædictam propositionem, seu Hæreticam, reprobabant, damnaverit; ut jam a nobis observatum est in superioribus Colloquiis. Nulla igitur in sexto sæculo dissensio aut controversia fuit inter Catholicos circa dogmata Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi Divini, sed potius concors omnium doctrina, animorumque consensus.

**D.** Quænam fuit doctrina sexti sæculi circa alia fidei dogmata, quæ credenda proponit Ecclesia Catholica, & ab Hæreticis nostri temporis reprobantur?

**M.** Circa alia fidei dogmata, quæ credenda proponit Ecclesia Catholica, eadem prorsus fuit sæculi sexti doctrina ac nostra. Hæretici quippe velint nolint, fateri coguntur, Christianos sexti Ecclesie sæculi cultum detulisse Sanctis, eosque invocasse; Martyrum sepulchra, & Reliquias in maximo honore habuisse; Celibatum observatum, & Monasticum Institutum late in eo fuisse propagatum; Primatum Romani Pontificis micuisse, præsertim in persona *Agapeti* Papæ, qui ut in superiori Colloquio diximus, Constantinopoli degens, *Anthimum* Patriarcham Constantinopolitanum, cui impensius favebat *Theodora* Augusta, Sede Patriarchali propria sua auctoritate, nullogue coacto Concilio, dejecit, & in ejus locum *Menam* substituit. Præterea, Ecclesiam in Conciliis generalibus congregatam in definiendis rebus fidei infallibili pollere auctoritate Christiani sexti Ecclesie sæculi firmiter crederunt cum *S. Gregorio Magno*, qui eodem sæculo Pontificatum gessit, & in Epistola Synodica ad Patriarchas, quæ est XXV. lib. 1. testatur, se quatuor Concilia Œcumenica suscipere, & venerari, sicut Sancti Evangelii quatuor libros. Quintum pariter Concilium generale, in quo tria damnata sunt Capitula, se pariter venerari profiteretur idem Summus Pontifex, eique qui aliter sapit, anathema dicit, his verbis: *Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit, quisquis vero prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre, &c.* Quapropter, quando Sanctus ille Pontifex mitius egit cum *Theodelinda* Longobardorum Regina, & cum nonnullis, qui Concilii quinti generalis auctoritati in damnatione trium Capitulorum damnatione obtemperare detestabant, nec eos pro Schismaticis habuit, usus est Sanctissimus ille Pontifex prudenti quadam Œconomia, forte quod eos ignorantia laborare potius, quam prava voluntate noverat, cumque doceri non resugerent, sperabat futurum, ut tandem aliquando resipiscerent, maxime postquam illis fuisset ostensum, Synodo Chalcedonenâ nullum a quinta Synodo vulnus esse illatum, ut perperam sibi persuadebant. Sed prudentis Œconomie elapso tempore, cum pauci superessent trium Capitulorum defensores, summo jure cum illis egit *S. Gregorius*, nec prius ipsos ad communionem recepit, quam professi fuissent se quintam Synodum pari cum a-

liis quatuor Œcumenicis veneratione suscipere. Hanc supremam Ecclesie auctoritatem in Conciliis Œcumenicis adstruens Sanctus *Gregorius Magnus*, omnes contra Catholicam Fidem aut jam exortos errores, aut in postremum orituros, simul oppressit.

Sacrificia, Orationes, Vigilias, Eleemosynas, aliaque id genus pietatis officia, Defunctis admodum prodesse, eosque subsidiis istis vel levare, vel ex toto liberari, constans erat in VI. sæculo utriusque Ecclesie tam Orientalis, quam Occidentalis doctrina, perspicuis, invictisque omnium sæculorum testimoniis confirmata, sicut testatur *Eustratius* Scriptor sexti Ecclesie sæculi, Magnæ Ecclesie Constantinopolitanæ Presbyter, in libro, cui titulus est: *Refutatio eorum, qui dicunt, animas Corporibus suis solutas non operari, nec precibus sacrificisque, quæ pro iis offeruntur, adjuvari.* Quem librum *Leo Allatius* græce latineque edidit. Sanctus etiam *Gregorius M.* qui sexto sæculo universalem regebat Ecclesiam, pluribus in locis eandem doctrinam tradit, sed præcipue lib. 4. Dialogorum cap. 39. ubi interroganti discipulo: *An post mortem Purgatorius ignis sit?* Respondet Sanctus Doctor: *pro quibusdam levibus culpis tergendis esse ante Judicium purgatorium ignem.* Quod infra diserte probat. Et cap. 55. sic scribit: *Multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ adjuvare; ita, ut hanc nonnumquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.*

Confessionis, & Absolutionis Sacerdotalis necessitatem pluribus in locis probat idem *Gregorius*, maxime lib. 22. Moralium in Job num. 31. & Homilia 26. in Evangelia, ubi sub Schemate *Lazari* ex mortuis a Christo revocari, & ab ejus Apostolis soluti, explicat peccatoris per Confessionem peccatorum e sepulchro prodentis resurrectionem, & solutionem. Sic enim habet: *Lazaro ergo dicitur: Veni foras: ac si aperte culibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per Confessionem egredere, qui apud te per negationem latet. Veniat itaque foras mortuus, idest, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesie ei poenam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Hec de solutionis ordine breviter dixerim, ut sub magno moderamine Pastores Ecclesie vel solvere studeant, vel ligare.*

Missarum solemnitas in sexto sæculo fuisse celebrata, passim legimus in Operibus *S. Gregorii Magni*, præsertim in Homiliis in Evangelia, ex quibus facile colligitur, fideles hujus sæculi constanter credidisse, Missam esse verum, & proprie dictum Sacrificium, & in augustissimo Eucharistiae Sacramento vere, & realiter contineri Corpus, & Sanguinem Christi Domini. Quod etiam *S. Gregorius Magnus* cap. 58. lib. 4. Dialog. his perspicuis verbis confirmat: *Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.* Refert quoque *Jo-*



annes Diaconus in Vita ejusdem S. Gregorii Papae l. 2. c. 4. quod *Matrona quaedam Beato Gregorio per stationes publicas Missarum solemniter celebranti solitas oblationes obtulerat. Cui post Mystra traditurus cum dicebat: Corpus Domini Nostri Jesu Christi conservet animam tuam, lasciva subrisit. Ille continuo dexteram ab ejus ore convertens, partem illam Domini Corporis super Altare reposuit. Expletis vero Missarum solemnibus, Matronam coram populo inquisivit, quamobrem Corpus Dominicum sumptura videre presumpserit? At illa diu mullitans tandem prorupit: quia panem, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu Corpus Dominicum peribebas. Tum Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe se in orationem prostravit, & post paulum surgeas, particulam panis, quam super Altare posuerat, carnem factam reperit; quam coram cunctis incredula Matrone demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam revocare potuit, quam totum populum confirmare curavit. Rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformavit. Hoc longiusculum licet Joannis Diaconi testimonium producere operæ pretium duxi, ut manifesto constet, Christianos sexti Ecclesie sæculi firma fide credidisse realem præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi Domini in Eucharistia Sacramento, sicque retundatur effrenis audacia Albertini Sectæ Calvinianæ Pseudo-Ministri, qui in libro, quem edidit, de Sacramento Eucharistie, duos adducit Scriptores sexti sæculi, videlicet Anastasium Sinaitam Monachum in l. qui inscribitur, *Dux vite*, & Facundum Hermianensem Episcopum l. 9. c. 19. a quibus negatam esse ait realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia Sacramento. At Anastasium Sinaitam, sicut in superiori Colloquio vidimus, ab hoc errore viri doctissimi vindicant, sicut & Facundum Hermianensem Episcopum, ut videre est apud *Natalem Alexandrum* c. 4. art. 6. §. 2. Hist. Eccl. sexti sæculi. Præterquam quod nulla omnino est *Facundi Hermianensis* Episcopi in Ecclesia auctoritas, utpote qui Schismaticus fuit, in Schismate scripsit, & obiit. Sed quæ, amabo, major ventositas esse potest, quam obscura quædam testimonia in horumce duorum sexti sæculi Scriptorum libris expiscari velle, & luculentissima nolle recipere testimonia deprompta ex Operibus S. Gregorii Magni, qui eodem sæculo universæ Ecclesie clavum regebat, ex quibus Sole clarius colligitur, omnes sæculi sexti Christianos præsentia realis Corporis, & Sanguinis Christi Fidem constantissime tenuisse? leges Confessionem Gregorianam typis Colonia editam apud *Arnoldum Quentelium* anno MDIV. Auctore *Theodoro Petro* Campensi Colonienfis Carthusiæ alumno, qui invictè demonstrat, omnes fidei articulos, de quibus nobis impresentiarum cum Lutheranis, & Calvinistis, aliisque novis Hæreticis controversia est, a Sancto Gregorio Magno probatos, & assertos esse, eorumque errores in antecessum a S. illo Doctore fuisse præfocatos.*

D. Sine, quæso, ut te paululum interpellem,

& a te perconter, an vera sit illa Historia, quæ circumfertur de anima *Traiani* Imperatoris in infidelitate defuncti ab inferis precibus Sancti Gregorii Magni liberata? Si enim hæc narratio vera sit, sequitur plane, Christianos sexti Ecclesie sæculi non consensisse nobiscum in hoc dogmate fidei, quo credimus, licitum non esse orare pro his qui in sua impietate, & in infidelitate demortui æternis sunt cruciatibus addicti, quia, ut inquit Scriptura Sacra, in Inferno nulla est redemptio.

M. Hæc narratiuncula, quam audisti, de liberatione *Traiani* ab Inferis, & de suis ad eam impetrandam a Sancto Gregorio Magno precibus, jure merito a viris eruditissimis fabulæ loco habetur. Enim vero, ut bene multa prætermittam momenta a peritis Criticis adducta, quæ rem plane conficiunt; qui credibile est, Sanctum Gregorium orare voluisse pro liberatione *Traiani*, quem sciebat in infidelitate mortuum, adeoque æternis flammis addictum, cum ipsemet l. 4. Dialogorum c. 44. & l. 34. *Moralium* c. 16. cum universa Ecclesia doceat, poenas Inferni esse æternas, nullamque in Inferno redemptionem; ex quo infert S. ille Ecclesie Doctor, justos orare nec debere, nec posse pro hominibus in infidelitate, vel impietate defunctis, aut si pro illis oraverint, irritas plane esse eorum orationes. Legi potest super hæc re caput decimum libri tertii de Vita Sancti Gregorii Magni, quam tomo quarto recentis illius Operum editionis inseruerunt doctissimi Patres Benedictini Congregationis Sancti Mauri, ubi hæc, quæ vulgo jactatur, narratiunculam solidis momentis exsufflant. Habetur quidem illius narratiunculæ de liberatione anime *Traiani* ab Inferis precibus Sancti Gregorii Magni aliqua mentio in oratione, quæ adscribitur Sancto Joanni Damasceno, de iis qui in fide obdormierunt; sed hæc orationem genuinum non esse Sancti Joannis Damasceni factum aperte demonstrant periti Critici *Bellarminus*, *Leo Allatius*, & noster doctissimus *P. Michael le Quien* in Dissertatione quinta inter Damascenicæ, quas præfixit tomo 1. recentis Editionis Operum Sancti Damasceni, quem eruditissimè ac pulcherrimè Notis illustratam nuperrime publicavit. Addo etiam cum Sancto Thoma in supplemento quæst. 73. articul. 5. ad 5. quod, posita veritate illius Historiæ de liberatione *Traiani* ab Inferis obtenta precibus Sancti Gregorii, dici tantum posset, *Traianum non fuisse in Inferno finaliter deputatum, sicut, inquit Angelicus ille Doctor, apparet ex omnibus illis, qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum plures constat Idololatras, & damnatos fuisse. De omnibus enim talibus similiter dici oportet, quod non erant in Inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem propriorum meritorum justitiam; secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum &c.* Patet itaque, sive hæc narratio de liberatione *Traiani* ab Inferis, precibus Sancti Gregorii impetrata, vera, vel falsa sit, Chri-

Christianos sexti sæculi credidisse, sicut & nos in præsentia credimus, nefas omnino esse preces fundere pro his, qui in impietate, vel infidelitate mortui decretorio Dei judicio in Inferno sunt finaliter deputati, quod perpetuo ab ipsis Ecclesie primordiis fuit Christianæ Fidei dogma.

D. Maximo sane rubore Hæretici, nisi omnem frontem exuissent, suffundi deberent, dum ea tanto ardore oppugnant fidei Dogmata, quæ tamen omni Ecclesie ævo unanimi Catholicorum consensione firmata, & approbata fuerunt. Sed expendamus modo ea, quæ spectant Disciplinam tam Ecclesiasticam quam Monasticam, quæ viguit sexto sæculo.

M. Disciplinam Ecclesiasticam sexti sæculi expressam habemus in Canonibus Conciliorum, quæ eodem sæculo celebrata sunt, de quibus jam superius disseruimus. Nihilofecius pauca, quæ ad Disciplinam erga Episcopos, & Clericos in sexto sæculo observatam attinent, hic subnectere non erit a proposito nostro alienum. In primis, Episcopatus in Regionibus recens ad Christianam Fidem conversis, Romanorum Pontificum auctoritate instituebantur. Sic S. Gregorius Magnus, misso ad Sanctum Augustinum Anglorum Apostolum Pallio, præcepit ei, ut Metropoles duas institueret, *Londini* unam, alteram *Eboraci*, & sub unaquaque duodecim Episcopos consecraret, ut videre est in ejus Epistola XV. lib. VIII. At in Regnis Christianis novi non instituebantur Episcopatus absque Metropolitanorum consensu. Occasione Schismatis Episcoporum Istriæ, qui trium Capitulorum damnationi subscribere noluerunt, *Aquilejensis* Metropolita ab Episcopis Schismaticis, qui quatuor Patriarchalium Sedium jurisdictioni parere renuebant, Patriarcha fuit institutus. Sed extincto Schismate, nudum Patriarchæ nomen retinuit *Aquilejensis* Episcopus. Progressu tamen temporis Patriarchatus honorem, & primum locum supra omnes Italiæ Metropolitanos ei concesserunt *Leo VIII.* *Clemens II.* & *Alexander II.* De Patriarchatu *Aquilejensi* legendus est doctissimus *Card. Novissus* capit. 10. *Dissert. de quinta Synodo*, ubi fute ac docte de eo agit. Electiones Episcoporum fiebant a Coepiscopis, a Clero, & populo, non tamen eodem jure, nec eodem semper modo; summa autem eligendi potestas erat penes Clerum, Episcopos, & Metropolitanum. In his Episcoporum electionibus, quæ sexto Ecclesie sæculo fiebant, cæpit Ecclesia multum Imperatoribus, & Regibus indulgere, ut eorum patrocinium promeretur ad comprimendos Hæreticos, ad executionem Canonum, ad Ecclesie bona facta tecta conservanda maxime necessarium (a). Translationes Episcoporum, nisi postulante Ecclesie utilitate, non mittebantur. Coadjutores cum futura successione sibi designabant Episcopi, si id necessitas, aut Ecclesie commodum exigent. Sic *Sanctus Augustinus* Anglorum Apostolus sibi successorem ordinavit *Laurentium*, & *S. Sacerdos* *Lugdunensis* Episcopus *S. Nicetium* nepotem

suum a *Childeberto Galliarum Rege* obtinuit. Cessiones Episcoporum, nisi gravissimas ob causas, non admittebantur, Episcopos tamen, qui propter continuam ægritudinem obeundo muneri impares erant, cedere posse Episcopatu, & ad cessionem consiliis inducendos esse, non tamen compellendos, docet S. Gregorius Magnus, ut videre est in pluribus ejus Epistolis, præsertim, juxta veterem editionem, 50. 51. 52. libr. 7. *Quin*, & viri sanctissimi ducti solitudinis amore, Episcopatum quandoque abdicarunt. Sic in Occidente *S. Sulpitius Bituricensis*, *Bonitus Arvernensis*, & *Leodegarius Augustodunensis* Ecclesias dimiserunt; alii vero Episcopatus honorem totis viribus fugiendum, & solo charitatis, & obedientiæ motu suscipiendum esse, exemplo, & scriptis docuerunt, quos inter potissimum censetur *S. Casarius*, *Fulgentius*, & *Gregorius Magnus*, quos sacram dignitatem coactos suscepisse, testantur hi, qui Vitas illorum scripserunt, *Cyprianus*, videlicet, *Ferrandus Diaconus*, & *Joaannes Diaconus*. Episcopi ad residentiam in suis Ecclesiis tam juxta statuta Ecclesie, quam juxta leges ab Imperatore Justiniano promulgatas obstringebantur. A residentia tamen lege censentur legitime dispensati, qui a suis Ecclesiis id eo aberant, ut Synodis interessent, vel, ut nomine Principum Legationes maximi momenti ad alios Principes obirent, ut multis exemplis constat, potissimum *S. Leandri Episcopi Hispalensis*, qui Wisigothorum Hispaniæ Regum nomine, Legationem obiit Constantinopoli; & *Joaannis* atque *Agapeti* Summorum Pontificum, qui Gothorum in Italia regnantium Legatione apud Imperatorem Orientis functi sunt. Episcoporum jurisdictio sæculo sexto erat amplissima, ipsosque de omnibus Monachorum, & Monialium causis judicare voluit Imperator Justinianus, earum cognitione Judicibus civilibus interdicta, ut videre est in ejus *Novella 79. cap. 1. & 2.* Bonorum Ecclesiasticorum suprema administratio penes Episcopos erat, qui tamen Œconomos instituebant, qui bona Ecclesie diligenter curarent, & deinde Episcopis administrationis suæ curam redderent. Ecclesie bona quatuor in partes erant distributa, quarum una Episcopo; altera Clericis; tertia Pauperibus; quarta Fabricæ Ecclesie erat destinata. Non licebat Episcopis post consecrationem bona acquisita transmittere ad hæredes, sed solum bona, quæ ante Episcopatum possederant, vel quæ ipsis postea ex consanguineorum usque ad quartum gradum hæreditate obvenerant. Poterant tamen Episcopi bonorum, quæ propria comparaverant industria, non vero ex oblationibus fidelium, vel ex redditibus Ecclesiasticis congregaverant, quem vellent scribere hæredem. Demum, sexto Ecclesie sæculo Episcoporum judicia, & depositiones fiebant in Synodis Provincialibus, ita tamen, ut possent Episcopi his in Synodis damnati, vel depositi provocare ad Romanum Pontificem, ad quem de jure spectabat delegare Judices, qui ejusdem negotii examen in Provincia instaurarent, vel, si mallet, sen-



sententiam definitivam pronunciare; quod jus Romano Pontifici ratione Primatus, quem in universa obtinet Ecclesia, assertum est, & in Concilio Sardicensi vindicatum. Sed de his plura legis apud Clarissimum Patrem Thomassinum in sua *veteri, & nova Ecclesie Disciplina*, ex qua hæc pauca excerptisse sufficiat.

„ (a) Addendum censeo Ecclesie vacantis administrationem committi tunc consuevisse uni, vel alteri, Metropolitanis iudicio deligendo; sed plerumque id muneris vicinioris Episcopi erat. „ Exempla habes frequentissime in Epistolis S. Gregorii Magni, præsertim lib. 1. Epist. 15. Epist. 53. Epist. 78. lib. 2. Epist. 15. Epist. 25. „ & 26. &c. Plurima etiam quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam hujus ætatis pertinent curiosum lectorem docebit Opusculum inscriptum: *Index titulorum ex regesto Epistolarum S. Gregorii Magni excerptus*, quem Cardinalis Antonius Carafa plurimo labore, & singulari industria confecit, iterumque editus legitur in fine Epistolæ S. Gregorii novæ editionis a PP. Maurinis confectæ.

Venio nunc ad Disciplinam, quæ sexto Ecclesie sæculo circa Clericos fuit observata. Et primo, ætas ad suscipiendum Clericatum necdum hoc sæculo erat præfixa, sed parentes offerebant Deo pueros suos, Cleroque devovebant, sicut patet exemplo S. Casarii Episcopi Arelatensis, qui inter ipsa infantie rudimenta Clericus factus est, teste Cypriano in ejus Vita. At Episcopi, & Presbyteri ante annum ætatis trigimum, Diaconi vero ante vigesimum quintum non ordinabantur ex illius sæculi disciplina, ut colligitur ex Concilio Agathensi Can. 16 & 17. Arelatensi IV. Can. 1. Aurelianensi III. Can. 6. In Seminariis instituebantur juniores Clerici, Majores etiam plerique in Ecclesiis sub Episcopi disciplina in iisdem ædibus debebant, & communibus stipendiis alebantur. Hæc sanctissima disciplina ad bene informandos Clericorum mores maxime necessaria in Galliis, & in Hispaniis præsertim viguit. Clerici non solum vestibus a Laicorum habitu distinctis utebantur, sed etiam tonsura, & corona, quam palam gestabant, ab illis omnino fecerantur. Non licebat Clericis ab Ecclesiis, quibus per ordinationem Episcopis erant addicti, ad alias migrare Ecclesias; & qui hanc legem violabant, tamquam desertores, vagi, & instabiles puniebantur. Non poterant etiam Episcopi Clericos a suis beneficiis ad nuntium amovere. Lex cœlibatus sexto dumtaxat sæculo Subdiaconis in Ecclesia Latina imposita est, & ut Clericorum vita omni ex parte, sicut decet, irreprehensibilis esset, antiquis Canonibus, quibus Clericis districtè vetitum est ne in ædibus suis extraneas mulieres contubernales habeant, novum robur additum est. Rectæ etiam consilium est distributioni, & administrationi bonorum Ecclesiasticorum, quorum Clerici Proprietarii, seu Domini non erant, sed tantum Œconomi, & dispensatores, itaut, detractis his, quæ ad honestam vitæ sustentationem necessaria erant, o-

mne superfluum Pauperibus erogare tenerentur, Clerici multis immunitatibus sexto sæculo fruebantur, erantque liberi a fori sæcularis iudicio, & quoties de fide, vel turpi vita, vel ob aliud crimen contra sacros Canones admissum accusabantur, non ad Laici iudicis Tribunal vocabantur, sed coram Episcopo, vel alio Iudice Ecclesiastico tota lis dirimi debebat. Quam Clericorum immunitatem strenue tuitus est S. Gregorius Magnus, monens *Januavium* Calaritanum Episcopum Epist. 24. lib. 3. ne Sacerdotes a Laicis iudicibus in Sardinia opprimi pateretur, prohibuitque Clericis, & Monachis Dioceseos Neapolitanæ, ne ad aliud quam Episcopi tribunal convenirent. Ad eandem Clericorum propugnandam immunitatem multa in Galliis, & in Hispaniis celebrata Concilia sub pœnis gravissimis inhibuerunt, ne Clerici quemquam apud sæculares Iudices, Episcopo non permittente, pulsarent; & ne Laici, inconsulto Episcopo, Clericum ad sæculare tribunal vocarent. Hæc est, in summa, Ecclesie Disciplina, quæ sexto sæculo erga Episcopos, & Clericos fuit observata.

D. Viguitne in sexto Ecclesie sæculo, præcipue in Occidente Monasticum Institutum, quod tantopere Hæretici execrantur?

M. Monasticum Institutum sexto Ecclesie sæculo floruisse, & in Occidente præsertim longè lateque fuisse propagatum, liquido colligitur ex bene multis Monasteriis, quæ eodem sæculo in Italia, Gallia, & Hispania condita sunt, de quibus legendus est doctissimus *Joannes Mabillonius* tom. 1. *Annalium Benedictinorum*, ubi data opera de tempore, quo isthæc Monasteria fundata sunt, & de Disciplina Monastica, quæ in illis adamussim observabatur, accurate juxta ac eleganter edisserit.

D. Quinam potissimum in VI. Ecclesie sæculo Monasticum Institutum in Occidente propagaverunt?

M. Monasticum Institutum sexto Ecclesie sæculo propagaverunt in Occidente viri sanctissimi, *Casarius* Arelatensis Episcopus, *Aurelianus* ejusdem urbis Episcopus, *Columbanus*, *Ferreolus* Uccienensis Episcopus, *Benedictus*, *Donatus*, *Isidorus*, & *Fructuosus*, de quibus singillatim pauca hic dicemus.

*S. Casarius* duplicem, ut jam observavimus, Regulam scripsit: Unam Sanctimonialibus, in gratiam Casariæ sororis suæ, & Monialium, quibus præerat in Monasterio Arelatensis ejus sumptibus extructo, & fundato. Hæc S. Casarii Regula, quam doctissimus *Mabillonius* asserit primam fuisse Regulam pro Monialibus scriptam, legi potest in Codice Regularum *Holstenii*, & apud eruditum *Cointium* in *Annalibus Ecclesie Frangorum*, ubi describitur, & prolis atque eruditus Notis illustratur. Alteram S. Casarius pro Monachis scripsit Regulam, quæ in plerisque Monasteriis vigeat, præsertim in Gallia Narbonensi. Hanc etiam *Holstenius* in Codice Regularum edidit, illamque descripsit *Cointius* in *Annalibus Francorum* ad annum DXXXVI. & eruditus Com-

Commentariis exposuit. Præter has duas Regulas, S. Casarius etiam exhortationes Sanctimonialibus scripto direxit, in quibus superbiam, invidiam, virorum colloquia, & familiaritatem, vestium elegantiam, splendidumve colorem, opera manuum vana, & superflua præ cæteris cavenda monet, atque, non sufficere vestem mutasse, & religionis habitum suscepisse, nisi & mores mutantur, & contra male dulces voluptates dimicetur. Præclara sunt quoque S. Casarii monita ad *Oratoriam* Abbatissam, quibus eam adhortatur, ut prior in Ecclesia inveniat, postrema exeat; prima itidem suscipiat laborem, posterior solvat; communibus cibis utatur in communi mensa; non sit vestibus ornator cæteris, sed moribus; Sorores omnes diligat, ac parem eis charitatem impertiat; nomen ejus complures noverint, beneficia plurimi sentiant, vulgum rari cognoscant; omnis denique actio sit propter Deum, sermo de Deo, cogitatio in Deum. Hos mores in Abbatissis Beatus ille Pontifex exigebat.

*Sanctus Aurelianus* duplicem itidem scripsit Regulam, unam Monachis, alteram sacris Virginitibus inscriptam. Utamque publicavit *Holstenius* in Codice Regularum, & utramque pariter descripsit *Cointius*, notisque illustravit in *Annalibus Ecclesie Francorum* ad annum DXLVIII. Regula Sancti Aureliani in multis concordat cum Regula Sancti Casarii, in multis cum Regula Sancti Benedicti, quam uti Casarianam præ oculis videtur habuisse *Aurelianus*, sicut ostendit *Mabillonius* tom. 1. *Annal. Benedictinorum*.

*Sanctus Columbanus*, cujus opera tam in Gallia, quam in Italia Monasticum Institutum propagatum est, relicta Hiberniæ Insula in Galliam venit anno DLXXXV. ut luculenter evincit *Mabillonius* in *Vita Waldeberti* Abbatissæ Luxoviensis, quæ extat parte II. sæculi III. Benedictini. Regulam, quam Monachi sequerentur, condidit, quæ etiamnum extat apud *Holstenium* in *Codice veterum Regularum*. Multa Monasteria extruxit *Sanctus Columbanus*, quorum præcipua fuere *Luxoviense*, *Angratense*, & *Fontanense* in Gallia, & in Italia *Bobiense*, ubi & sepultus fuit, & reliquæ ejus multis pollent virtutibus, sicut narrat *Jonas* in ejus vita. Clariore Sancti Columbanus Discipuli fuerunt *Gallus*, *Eustasius*, *Valaricus*, *Amala*, Sancti Columbanus in Bobiensi Monasterii regimine successor, itemque *Deicolus*, *Leobardus*, *Sigisbertus* Abbates. Monachos enim omnes, qui sub Sancti Columbanus Regula militantes Deo servierunt, commemorare non licet.

*Sanctus Ferreolus* Ansberti filius Sancto Firmino Episcopo Uccetiæ patruo suo successit anno DLIII. ut ex ejus Vita a se ex veteri MS. publicata colligit *Marcus Antonius Dominicus*. In hac Urbe Monasterium excitavit. quod de suo nomine *Ferriolacense* nuncupavit. Extat ejus Regula, quam pro Monachis scripsit apud *Holstenium*, cujus Capitula pleraque conformia sunt Statutis S. Casarii Episcopi Arelatensis sicut ostendit sæpe laudatus *Cointius* in *Annalibus*

Ecclesie Francorum ad annum DLVIII. numer. IX. & sequentibus.

*Sanctus Benedictus* Monachorum in Occidente parens, Nursiæ in Diocesi Spoletana natus, & Romæ liberalibus disciplinis excultus, ad eum locum, qui *Sublacus* dicitur, in altissimam speluncam secessit, ubi per triennium nemini notus delituit, sed sparsa illius Sanctitatis fama bene multi Monachi se illi instituendos tradiderunt, quorum mores cum probare non posset, ab illis, non sine periculo vitæ suæ discessit, & in solitudinem se recepit, ubi, ob innumeram multitudinem discipulorum, qui ad ipsum quotidie confluebant, duodecim Monasteria ædificavit; Dein, Montem Cassinum petiit, quem ex *Demonum*, & *Idololatriæ* receptaculo illustre sanctitatis sacrarium fecit, ibique clarissimi sui Ordinis fundamenta jecit, condendo Regulam, quæ Vitam Monasticam in Italia informavit ac propagavit, & postea in Galliam a Sancto Mauro ejus Discipulo illata est. Adeo posteris probata est hæc Sancti Benedicti Regula, ut Sancto Gregorio Magno lib. 2. *Dialog. cap. 36. Discretione præcipua*, sermone *luculenta*, Patribus vero, & Conciliis *Sancta*, atque eodem spiritu, quo sacri Canones condita haberetur. Nullo discrimine quovis admittit hæc Regula, pueros, adolescentes, adultos, pauperes æque ac divites; nobiles, & ignobiles; servos, & ingenuos, doctos pariter ac literarum expertes, Laicos, & Clericos. Pueri oblato Monasterii a parentibus. Vitæ Monasticæ jugum, ubi ætatem adultam attingissent, excutere non poterant. Sed de præstantia, & propagatione Regulæ Sancti Benedicti in sexto Ecclesie sæculo, & de Monastica disciplina, quæ in ea præscribitur, legendus est doctissimus *Mabillonius* tom. 1. *Annalium Benedictinorum*.

*Sanctus Donatus* Vesontiensis Episcopus, cum ex ordine Monachorum Sancti Columbanus, ad Episcopatum fuisset proventus, Monasterium sub ejus Regula construxit, quod *Palatium* vocabatur, & Monasterio puellarum, quod mater ejus fundaverat, Regulam scripsit ex SS. Augustini, Casarii, Columbanus, & Benedictini Regulis, maximam partem deservatam, quam edidit *Holstenius* in Codice Regularum.

Quandonam in Hispanias invecita fuerit Monastica disciplina, non est omnino certum. Multi asserunt, *Donatum* Monachum cœvum S. Gregorio Turonensi, qui adjunctis LXX. sociis, ex Africa venit in Hispaniam, primum in hanc Regionem intulisse Monasticam disciplinam. Sed doctissimus sæpe citatus *Mabillonius* probat, Monasticam disciplinam ante hunc *Donatum*, qui sexto sæculo vixit, in Hispaniis jam viguisse. Ut sit, certum est, Sanctum *Isidorum* Hispanensem Episcopum Regulam Hispaniensibus Monasteriis ex priorum Patrum Regulis concinnatam, tradidisse. S. *Leander* Episcopus itidem Hispanensis, frater Sancti Isidori, librum ad *Florentinam* sororem suam de *Institutione Virginis* scripsit, qui sacrarum Virginitum Regula merito nuncupatur, & ab *Holstenio* descriptus est in